DISPVTATIO.

De varijs Scripturarum ſenſibus, Anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo, in Inclyta, & Catholica Academia Ingolſtadiana publicè propoſita.

2. COR. 3.

Idoneos nos fecit miniſtros noui Teſt. non literæ, ſed Spiritus; Litera enim occidit, Spiritus autem viuificat.

AD GALATAS 4.

Scriptum eſt, quoniam Abraham duos filios habuit: vnum de ancilla, & vnum de libera: Sed qui de ancilla, ſecundum carnem natus eſt: qui autem de libera, per repromiſsionem, quæ ſunt per allegoriam dicta.

CHRISTO DVCE

Diſcutientur proximo die Lunæ.

Ex Officina VVeiſſenhorniana.

ANNO M. D. LXX.

De varijs Scripturarum ſenſibus.

Theſis I.

VT omnem ambigendi occaſionẽ præcidentes, ab inſtitutæ diſputationis inſcriptione exordium ducamus, ſenſus nomine non internam, externámue ullam animæ uim, uti ſæpe uſu uenit, hoc loco cõplectimur, ſed id, quod uoce, ſententia, aut oratione cuiuſpiã externo ſenſu percepta, mente concipimus.

II.

Qui equidem ſenſus generatim, ac pro inſtituti noſtri ratione, (nam uulgatas ſenſus diſtributiones hic perſequi non attinet) bipartito diuidi ſolet: in Literalem uidelicet, & myſticum ſeu Spiritalem.

III.

Literalem Scripturæ ſenſum eum nõnulli definiunt, qui tropis, & ſchematis omnibus, quibus ea nuſquã non abundat maximè, accuratè diſcuſſis, riteq; intellectis, ex propria, aut translatitia uerborum ſignificatione legitimè cõſurgit: alij, quem prudens rerum æſtimator, ut eiuſmodi eſt, ex rerũ notis, dum proponuntur, aptè colligit: nobis uerò eum ſenſum literalem appellare placet, quem Spiritusſanctus per uoces proximè, uel remotè intendit.

IIII.

Vnde manifeſtus eorum eſt error, qui non ſolùm in methaphoris, & parabolis, uerùm etiam quouis alio in loco,

co, siquid figuratè dictum, scriptúmue comperérint, duos statim sensus confingunt: unum, quem uerba ἀσχηματισμένως, & planè accepta designant, quem literalem ipsi uocant: alterum, quem figuratè sumpta denotant, quem tropicum appellant.

V.

Etenim priorem illum sensum literalem appellare, est in clara, & aperta luce caligare turpiter. Nec enim uerè id sensus dici potest, quod is qui loquitur, uel scribit, uerbis, quibus utitur, non uult indicare: qui uerò ἀλληγορικῶς, aut ὑπερβολικῶς, aut μεταφορικῶς scribit, aut loquitur, quiduis potius indicatū uult, quam quod ipsa per se uerba proximè, hoc est, simpliciter, & sine schemate usurpata sonant.

VI.

Quamobrem fido ac integro Sacrarum literarum interpreti, iterum atq; iterum dispiciendum est, simpliciter ne aliquid dictum, scriptúmue sit, an figuratè. Nam si qua schemata, uel tropi in litera latitant, ex ijs præsertim, qui legitimum sensum turbant uehementius, ut sunt allegoria, hyperbole, metaphora, synecdoche, irónia &c. fieri nequit, ut ullum prius uerum, & legitimum sensum constituat, quàm diligenti meditatione adhibita, omnes eiusmodi tropos seorsum discutiat, expendatq;.

VII.

Esse autem eum sensum literalem, & quidem solum literalem, quem uerba Scripturæ figuratè, hoc est, impropriè, et translatitiè accepta, demonstrāt, ut cætera, quibus probari

id solet, desint, ex solis prophanis literis, ostendi potest. Nam cùm hic permulta passim figuratè scripta cõperiantur, quæ nos etiam figuratè interpretamur: cumq; eiusmodi interpretationem literalem uocandam esse eruditi omnes sentiãt, cur non eodem iure, si quid figuratè editum extat in testamentarijs scripturis, id quod nobis eæ Scripturæ figuratè acceptæ significant, ad literalem sensum referre licebit?

VIII.

Sunt qui sensum literalem in historicum, ætiologicum, et analogicum partiantur, eiusq; partitionis D. Augustinum autorem se habere opinentur, sed id falso: Nam D. Augustinus non literalem seorsum, sed Scripturarum sensum uniuerse, in historicum, ætiologicum, analogicum, & allegoricum secat, quamuis ne hoc quidem satis exactè. Historia namq;, ætiologia, & analogia, non tres, sed unũ duntaxat sensum constituunt, ut quæ hoc tantum inter se discrepent, quod historia rem factam solum explicet, ætiologia facti rationem reddat, analogia, quæ pugnare uidebantur, inter se conciliet.

IX.

Omnibus itaq; numeris absolutus diuinarũ literarum interpres, præter historiæ cognitionem, ætiologiam quoq;, & analogiam teneat, hoc est, sensus in diuinis literis ita exercitatos habeat, ut uarios Scripturæ locos inter se componere, eorumq;, quæ uel dicta, uel facta narrantur, cũ opus fuerit, rationẽ possit reddere: Ex ætiologia aũt, & analogia, sicubi occurrant, nouos literæ sensus ne cõfingat; sed siquidẽ potest ad historiam: sin autem ad literam referat. Nec

enim

enim duo hæc sunt idem prorsus, tametsi quidam hoc pro illo interdum usurpent.

X.

Etenim ubi nullum dictum, aut factum, dictiue aut facti ratio, aut περίστασις *explicatur: ibi profectò nullus historiæ relinquitur locus, sensum auten historicum, sine historia cōstituere uelle, est à rectæ rationis magisterio manifestè discedere. Atqui nō pauca Scripturæ loca narratione uacant: ecquid enim narrant psalmi, dum Dei potentiam, misericordiam, ueritatem, uel iusticiam extollunt? quid Paulus, dum Scripturarum interpretem agit? quid legis tabulæ? quid alia id genus sexcenta, quæ tamen omnia sensu literali non carent?*

XI.

Dicent forte, qui promiscuè utrunq; usurpant, se non omnem sensum literalem, historicum appellare, sed eum tantum, qui spiritali ex aduerso opponitur: Spiritalem autem in ijs duntaxat locis reperiri, qui factum aliquod narrant. Atqui hoc admisso, adhuc se tueri non possunt, qui omnem omnino sensum literalem, historicum uocant, cum certum sit hunc illo limitibus multo angustioribus contineri.

XII.

Sed & illa quoq;, quæ non narrantur gesta, mysticum interdum sensum admittunt: ut illud: Ego ero illi in patrem, & ille mihi erit in filium. Et cōtra quædā in Scripturis gesta narrantur, quæ tamen mysticmn seusum non

recipiunt. Ecquod enim mysterium proditur, dum Apostolus exponit Troade se pennulam, & nescio, quas membranas reliquisse? Alexandrum Aerarium multa sibi mala intentasse? in prima sua defensione nullum patronum habuisse? & alia id genus similia?

XIII.

Illud sane non iniuria multo magis miraberis, unũ eundemq; Scripturæ locum, plures nõnunquã literales sensus admittere: siue ex eo id proueniat, q, Deus Opt: Max: qui una simplici, ac indemutabili noticia omnia simul complectitur, Scripturam dictans, una eademq; oratione, ea omnia uoluerit significare, quæ uere, utiliter, & Scripturarũ fini consentanee sapientes inde colligere posse animaduertebat: siue ex natiua ipsius Scripturæ fœcunditate: siue ex quocunq; alio fonte id proscaturiat.

XIIII.

Erit aũt literalis Scripturæ sensus, tum demũ certus, & exploratus, si per se omnino fuerit perspicuus, uel ab Ecclesia, super ea re congregata, constitutus. Nec enim minus tribuendum est Ecclesiæ in Scripturarum interpretatione, quàm in earundem approbatione & canonizatione.

XV.

Vnde ut nefarium esset, post Ecclesiæ definitionẽ D. Ioannis Euangelium, uel alterius cuiusuis Prophetæ, uel Euangelistæ scriptũ, ueluti dubium repudiare, ita ingenti quoq; cum scelere coniunctũ foret, sensum, quem illa tanq; germanũ, & catholicũ in Concilio exposuisset, aliorsum detorquere, uel omnino nõ admittere.

Quod

XVI.

Quod si quando Ecclesia, uel Synodus Oecumenicā, uniuersalē Ecclesiam repræsentans, rationibus, uel autoritatibus non admodum grauibus, uel momentosis decreta sua confirmat, nō propterea, aut illius autoritas, aut istorum firmitas labefactatur: siquidem Conciliorum sanctiones non ideò recipimus, quod grauibus, uel euidentibus rationibus, uel autoritatibus munitæ in lucem prodeunt: sed quia non alium, quàm S. Sanctum autorem habere cognoscuntur.

XVII.

Itaq; Concilium Oecumenicum, uel Pontificē Maximum aliquem Scripturæ locū in hoc, uel illo sensu usurpasse, uel ad quodcunq; fidei dogma confirmandum allegasse, id fidei uim, atq; firmitudinem nequaquam semper obtinet, aut Christi sacris imbutum, ut absq; mora, & dubitatione id amplectatur obligat: Quamuis etiam ab eo, quod sic uno quasi aspectu, atq; obiter expositum est, non temere recedi debeat: Verum tum demum Synodi interpretatio legis uim tenet, cum ea de causa conuenit, ut de dubio loci alicuius sensu certi aliquid statuat.

XVIII.

Cæterum dū inter plures eiusdē loci sensus ambigitur, si nihil se offert, cur hūc magis admittere expediat, quàm illum, eum cæteris anteferas, nō qui plures pro se autores habet, præsertim ἀνωνύμους, sed qui cū præcedētibus, et cō sequētibus, alijsq; Scripturæ locis magis cōsentit, quiq; ad Græcum, uel Hebræum contextū propius accedit: Nec

enim

enim parum lucis obscuris locis adferre solent fontes, ex quibus dictante S. Sancto sacra primo proscaturierunt, dummodo tamen & ipsi quoq; puro decurrant gurgite.

XIX.

Imo uerò tantum abest, ut in ijs, quæ per se certa, aut ab Ecclesia determinata, aut commum Sanctorum traditione comprobata non sunt, clausis oculis, absq; ullo omnino studio, iuditio, uel inquisitione, multitudinis sensu niti quempiam oporteat: ut etiam eidem interdum refragari, minimè dedeceat.

XX.

Debet (inquam) qui Theologi non mali nomen sustinere uult, in dubijs, non id semper probare, quod multi unum aliquem, ut fieri nonnunquam solet, sine iuditio secuti docuère, sed loca cum locis, præcedentia cum sequentibus, exempla cum exemplaribus, æditiones cũ æditionibus, interpretationes deniq; cum interpretationibus diligenter conferre: ac tum demum, quod ad autoris mentem, ac sententiam, quàm proximè accedere uidetur in medium proferre: siue id cum multitudinis interpretatione consentiat, siue ab eadem dissentiat.

XXI.

Quæ hactenus de literali sensu determinata sunt, manifestè probant, nullum extare Scripturæ locum, qui non aliquem saltem literæ sensum recipiat: siquidem figuratè dicta remota, & translatia: cætera propinqua, & propria uocum notatione literalem sensum constituunt.

Sed

XXII.

Sed et alia quoq; ratione doceri id potest: nam qui scribit, uel loquitur, aut uerbis, quibus utitur, illud, quod significatum uult, exprimit, aut secus: si exprimit, id ergo quod expreßit, erit sensus literalis: sin autem id non exprimit, scribendo igitur, uel loquendo operam ludit.

XXIII.

Exprimit, inquis, sed interim non ex proxima, et propria uerborũ significatiõe, id nos uult colligere, sed à rerũ similitudine, et notatione, quas uerba significãt. Sit ita: ex huiusmodi itaq; nõ planus, sed parabolicus, aut allegoricus sensus consurget. Vteruis aũt horum, non ad mysticum, sed ad literalẽ sensum spectat. Quod si neges, uel inuitus concedas oportet, multa scripsisse Phocilidẽ, Ciceronem, & alios profanos scriptores, quæ nullũ literalem sensum admittãt, cum tamẽ, (ut minimè paucorum est sentẽtia) hic sensus ab eorũ scriptis nullo modo abesse queat: ut qui uel solus istbic locum habeat.

XXIIII.

Verum sit ne hoc uniuerse, et absolutè uerũ, id, ubi de spiritali sensu differetur, planius indicabitur: nũc hoc tantum moneo nõ deesse, qui in moraliũ Philosophorum apologis, geminum sensum admitti posse contendant: non quidẽ unum literalem, & alterum spiritalem: sed unum literalem, & alterum moralem. Nam etsi (inquiunt illi) qui Apologum, aut fabulam proponit, uerbis, quibus utitur, aliud proximè significare non uelit, quam quod ficta illa narratione commemorat, uult tamen ut ex facto ima-

ginario, uerbis illis comprehenso, colligamus quippiam, quod ad mores componendos iuuet.

XXV.

Sed ut profana, ueræq; pietatis præceptionib. uacua, profanis dimittamus, certè qui in sacris uoluminibus alterum duntaxat admittendum contenderet, is nõ solùm ab unanimi, perpetuaq; Sanctorum patrum consensione, atq; traditiõe, totiusq; Ecclesiæ, in explicandis sacris literis, consuetudine exorbitaret, uerum etiam doctrinæ Apostolicæ reclamaret apertè. Docet enim illa non uno in loco, plæraq;, quæ in lege Mosaica contingebant, umbram quandam, & typum futurorum gessisse.

XXVI.

Quid? q; non illi solùm fædè, et periculosè errent, qui nullũ alium, præter literalem, in S. literis agnoscunt sensum, uerum illi etiam, qui in plærisq; Scripturæ locis, sensu literali aperto, perinde ac si falsus, uel à suscepto negotio alienus sit, repudiato, nouos quosdam, ac inusitatos nobis obtrudunt?

XXVII.

Quorsum nanq; attinet cum Origine, & alijs quibusdam, quæ de Euæ formatione, de Paradiso terrestri, de quatuor fluminibus inde progrediuntibus, de dierũ interuallo, deq; plærisq; alijs, quæ primis illis Geneseos capitibus, de mundi nascẽtis exordio exponuntur, ad nescio quos sensuum μετεωριζομένων, uespertinasq;, ac matutinas cœlestium mentium notitias in solidum, detorquere?

XXVIII.

Ad spiritalem porro sensum, quod attinet, is non ex propria

propria, aut translatitia uerborum significatione, sed ex rerum, quas uerba demonstrāt notatione, ac similitudine duci debet.

XXIX.

Mysticum sensum Bedas, et qui illū sequuntur, in typicum, tropologicum, et anagogicum partiuntur: D. Augustinus mysticos omnes, uno allegoriæ nomine ubiq; exprimit. Hugo Victorinus, misso typico, allegorico tropologicum adiungit: Nobis Bedæ distributio, ut primis uirtutibus cognatior, & in Patrum Scholis receptior, magis probatur.

XXX.

Sensus mysticus, non unus semper, ex uno loco ducitur, sed uarius nonnūquam, et multiplex: Nō enim ea angustia rerum notatio, et similitudo, unde hic sensus petitur, continetur, ac uerborum significatio, ex qua sensus literalis proximè colligitur. Quamuis & hic quoq; ita ieiunus non sit, quin geminari interdum queat: alter tamen est fæcundior: sæpè nanq; unus idemq; locus, aliud typicè, aliud tropologicè, aliud commonstrat anagogicè.

XXXI.

Mysticum hunc, & spiritalem sensum, nisi sensus uocabulo abuti uoles, solæ diuinæ literæ recipiunt, non alterius cuiusuis dicta, uel scripta. Homo enim, postquam uerbis propriè, uel figuratè quiddam expressit, quod alterum, ad quem orationem dirigit, uult intelligere: non habet præterea uim, saltem uniuersè, ut rem, quam uerè gestam narrat, aut si quid aliud est, quod explicat, ad significandum aliud imponat, sed si id uelit, alijs opus est uerbis.

 Quam-

XXXII.

Quamuis autem peculiare sit sacris literis, ut præter literalem, admittant etiam sensum spiritalem, eumq; multiplicem, haud facilè tamen in omnibus Scripturæ locis utrunq; sensum comperias. In Paulinis enim, et Apostolorũ Canonicis, mysticus rarißimè occurrit: Nam quodcunq; illi docere uolũt, id planis explicatisq; uerbis exponunt.

XXXIII.

Inter mysticum, et literalem sensum hoc, inter cætera, discrimen intercedit, quod hic illo, apud nos sit certior, et ad faciendã fidẽ efficatior. Mysticus .n. nisi à Christo, uel Apostolis, ad quippiam probandũ, uel confirmandũ usurpatus, in literalis naturã transierit, parum apud nos roboris habet. Pendet namq; hic sensus non infrequenter ab humana cõiectura, quæ plærunq; fallax est, et incerta.

XXXIIII.

Ex hac sensuum Scripturariorum explicatione, palam fit, haud leuiter ab ijs erratum esse, qui apud Apostolum legentes, literam occidere, spiritum autem uiuificare, existimarunt occidentis literæ nomine, sensum literalem significatum esse, spiritus uerò uiuificantis sensum mysticum; cum certum sit Apostolũ ne per somnium quidem tale quippiã cogitasse. Quid enim? an nõ æque bonus, sanctꝰ, uerus, ac certus est literalis sensus, atq; spiritalis? an non æque monemur, per sensum literalem, quid agendũ, quid item uitandum, atq; per sensum spiritalem?

XXXV.

Dices non sat esse nouisse, quid litera proponat, ut salutem

lutem consequare? Sit ita. At idem ego, & de spiritali sensu tibi uicissim obiecero: Nec .n. pauci, ut credibile fit, ardent apud inferos, qui mystica Scripturarum sensa callebant probè. Id igitur, quod interius uiuificat, procul dubio non est sensus aliquis scripturarius, sed quiddam occultum mentibus insidens.

XXXVI.

Unde rectius per Spiritum uiuificantē, gratiam Dei per Euangeliū nobis cōmunicatam; per literam uerò, nuda legis præcepta accipimus. Sed nec aliud accipi literæ apostolicæ contextus sinit, ait enim: Epistola nostra uos estis, scripta non atramento, sed spiritu Dei uiui: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Hæc sanè aliò, quàm ad Diuinæ gratiæ infusionem legitimè referri non possunt.

XXXVII.

Sed quoniam arrogantior uideri poterat Apostolus, quod tam excellentiū Epistolarum ministerium sibi concreditum asseueraret, rem odiosam mitigans, aliunde eam facultatem sibi obuenisse exponit, subdit enim: Sufficientia nostra à Deo est, qui idoneos ministros nos fecit Noui testamenti, non literæ, sed spiritus.

XXXVIII.

Hoc autem spiritus ministerium ueteris legis Doctores, ut huiusmodi, non habebant, sed tantum alterum illud, quod literæ appellatur. Nec enim illi docendo, aut exhortando Christum, unde omnis spiritalis gratia hauritur, ex instituto, & serio inculcabant, sed minis, ut plurimum, & terroribus legis executionē, & obseruationem urgebant.

 XXXIX.

XXXIX.

Quod si qui in illo calamitoso sæculo comperiebantur, qui in Christum per fidem cognitum, spem omnem, atq; fiduciam defixam haberent, ab eoq; uitam, salutem, & omne deniq; bonum expectarent: uel ex cathedris eundem Euangelizarent, eos nos, quatenus hoc ipsum factitabant, ad nouum potius, quàm ad uetus Testamentum pertinuisse asseueramus: Sed & cæteros quoq; eô lem spectasse, consentaneũ est, qui eadem illa ætate, Christi Domini nostri gratia ad salutis portum pertingebant.

XL.

At uerò Noui testamenti minister, si tamen uerè id est, quod audit, unum hoc agit, ut auditor propria imbecillitate agnita, suis quidem uiribus omnino diffidat, Christi uerò Dei, ac Domini nostri potentiæ, ac misericordiæ confidat ualidè, eidemq; uni, sese totum, quantus est, permittat intrepidè. Quod si is, ut par est, benè monenti morem gesserit, tum demum Christi Epistola, non atramento, sed spiritu Dei uiui descripta, efficitur: eoq; paulatum progreditur, ut iam non pœnæ formidine, sed uirtutis studio, ac amore, legis mandatũ expleat. Atq; huc Scholæ Patres tendunt, dum nouum Testamentum interius hominem iuuare, tradunt, uetus uerò exterius tantum.

XLI.

Manet ergò in causa spiritum uiuificantem non esse mysticum Scripturarũ sensum: Rursum ministrorũ Euangelicorum munus nõ esse nuda uitæ documenta, ad formandos auditorum mores, proponere: Nam hoc etiam ueteris

legis

legis ministri præstrabant: sed administrare spiritum, hoc est, eiusmodi suggerere, per quæ Christi spiritus hauriatur, uel iam ante haustus augeatur. Spirituum datori sit honos, laus, & gloria in perpetuas æternitates.

AMEN.

Sub præsidio Theodori Peltani, Doctoris Theologi, pro impetranda, in SS. Theologia Licentia, defendit M. Georgius Schorichius, eiusdem sacræ Theologiæ Baccalaureus formatus, & Concionator Ducalis &c.

IMPERTINENTES.

I. Vna est Sancta, Catholica, & Apostolica Ecclesia, extra cuius fidem, & obedientiam nulla est salus.

II. Septem sunt verè, & propriè nouę legis Sacramēta, ad communem humani generis salutem, à Iesu Christo Domino nostro instituta.

III. Sacrosancta Eucharistia nō est Sacramentum solùm, sed etiam verum, proprium, & propitiatoriū Sacrificium.

IIII. Certa ac indubitata fide tenendum est, Purgatorium esse, animasq; ibidem detentas, fidelium suffragijs iuuari.

V. Pari constantia credendum est, Sanctos vnà cum Christo regnantes, venerandos, & inuocandos, debitumq; sacris eorū reliquijs, atq; iconibus cultum deferendum esse.

LAVS DEO.









